Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2431
Quelle:
Copyright:

est obseruatum. ut bini ultimi versus per anthetita finiantur. Sunt *Hildeberti Cenomanensis*, legunturque in edit. *supracit. col.* 1336. vel potius *Ausonii*; sed versus 1. nobis rectius:

Quenam summa boni? mens que sibi conscia recti.

quam ibi:

Quænam summa boni? quæ mens sibi conscia recti.

Ita et in sequentibus, quae indiscriminate sine *Sapientum* nominibus adscripta sunt, habes, unde *Ausonium Iul. Floridi Paris.* 1730. 4. emendes. Ita in *Pittaco superbus* pro *superbis*, *comparas* et *probas* pro *compara*, *proba* genuinum videtur. In *Thalete distuleris* pro *sustuleris*, *Satis hoc* pro *Satis est*. Plerumque tamen Edita nostris praestant.

VIII. *fol. 134. p. 2.* Absque ulla distinctione *Ausonianis* Sapientum *Sententiis* adnexae sunt aliae XXIX. Distichis comprehensae, quarum Autorem inter christianos *Bibl. P. P.* Poetas non reperio. Pars prior de Selectu et Conuictu Amicorum tractat hoc initio:

Cuius uita proba est illi conuiuia iunge.
Ne capiare cibis. et maculare (ere) *gula.*
Pascuis non isdem. sues sociantur et agni.
Nec spurcis auibus. sancta columba coit &c.

Pars altera diversa monita complectitur et init:

Sume libens monitus haurique salubria uerba.
Que regimen sane sobrietatis habent.
Rumigera (Rumina) *mandata dei uelut optimus agnus.*
Verba (que) *iusticie fertile pectus alant* &c.

Ad calcem de suo addidit extemporalis Librarius:

Explicit hic carmen dicatur ab omnibus Amen.
Post scriptum librum scriptor digne bibe uinum.

DCXXXVII.

68 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 212. f. per duas columnas charactere luculento exaratus et rubricatus complectitur XI. Opuscula ascetica, quorum Elenchus *fol.* 1. prostat. Primum inscri-